
JO. GEORGII PRITII,
SS. Theologiæ Licentiati & Profeſſoris Publici,

Oratio Inauguralis

DE LITE
ARCHIEPISCOPO DUCI CAMERACENSI,
FRANCISCO DE SALIGNAC FENELON,
a quibusdam
GALLIAE PRAESULIBUS
circa nonnulla Theologiæ myſticæ capita
Romæ intentata,
in ſplendidiſſima panegyri,
D. XVI. Decemb. M DC XCIIX.
dicta,
Quum Profeſſionem Theologiæ & Metaphyſicæ in illuſtri Gymnaſio Anhaltino, quod SERVESTAE eſt, auſpicaretur.



LIPSIÆ,
Apud JO. GROSSII viduam & hæredes.
Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI,
M DC IC.

ALMAE PATRIAE,

CELEBERRIMAE PHILVRAEAE

ORATIONEM HANC

INAVGVRALEM

SACRAM ESSE

IVBET

AVCTOR.



Vae a me, sub muneris mei ingressum, coram illustrissima panegyri, dicta est oratio, eam tibi, Alma Patria, venerabundo studio inscriptum consecratumque eo. Nec enim conveniebat, Lipsia me discedere, vt non statueretur aliquod a me animi grati monumentum, quo, quam prolixe tibi debeam, & debiturus sim per omne vitæ meæ tempus, luculenter declarem. Lipsiensis sum; Lipsiæ, si pauxillum illud temporis, quod Ienæ a me transactum fuit, excipiam, velvti in dulcissimo Musarum sinu, ad omnem humanitatem ingeniique cultum formatum me esse memini. Dulce hic fuit, cum materno veluti lacte bonarum litterarum amorem imbibere, quem certe nisi cum vita non videor mihi depositurus. Dulce & nunc est, regredi in spatium præteriti temporis, quo ex ore virorum omni laude dignissimorum, omnigenaque eruditionis copia florentium, SCHERZERI, puta, ALBERTI & FELLERI, quos cœlo receptos prospera fama quaquauorsum adhuc prædicat; CARPZOVII item, OLEARII, MENCKENII, RECHENBERGII, CYPRIANI, aliorumque, quos omnes propitia rebus nostris diuini Numinis clementia mortalium cœtibus longissime interesse velit, pulcherrimas doctrinas haurire contigit. Fateor enimuero tanta me alacritate ad scholas ipsorum, cum aliis quos idem ardor agebat, confluxisse, quanta solet esse in animis eorum, qui accenso studio incitatoque cursu ad verum decus, quod in bonarum artium tractatione positum esse rectissime existimatur, laudabiliter grassantur; qui persuasus eram, quod & sæpe cognitum est postea, tantis me præceptoribus solidioris sapientiæ restinguere sitim, ducibusque istis, quantumvis arduum id sit & paucis indulgeatur, ad edita Musarum feliciter eniti posse templa. Quicquid ergo vel in ecclesia DEI, cuius abundantissima gratia suum me ministrum constituere dignata est; vel in schola, in qua studiosam iuuentutem diuina huma-

humanaque sapientia imbuere iubeor, præstiturus sum deinceps; id vero, post supremi Numinis exuberantem in me benignitatem, tibi, celeberrima Philuræa, refero acceptum. Illud quidem habuissem in optatis, vt studia mea & operam in perpetuum tuo seruitio addicere licuisset; quis est enim tam ab omni humanitate alienus, vt, cui tot meritis tenetur obstrictus, patriæ amore inprimis non teneatur? Sed, qua ratione mihi fuisset integrum, diuinæ voluntati, tam luculentis argumentis ostensæ, proterue reluctari? Id tamen, quod est in viribus meis collocatum, sincere tibi polliceor, nullum fore tempus, quo non memoriam tui tuorumque, qui tot beneficiis me sibi deuinxerunt, libentissime vsurpem; & id sedulo agam, vt tuum decus, quantum adsequi possum, asseram, tuear, & propagem; vt qui omnia, non modo quæ possum, sed & quæ non possum, tui caussa percupiam. Deum interea precibus ardentissimis adpello atque inuoco, vt qua adhuc effloruisti, ad multorum inuidiam rerum, omnium abundantia, libertate præsertim colendæ religionis ab omni superstitione emundatæ, & quo eminuisti rerum præstantissimarum splendore, hæc tibi omnia sint perpetua; vtque Viros, quos possides in omni genere virtutis & doctrinæ perquam excellentes, & meritis in rempublicam grauissimis celeberrimos, diutissime orbi litterato venerari liceat. Ita & semper emittas in omni Facultate, in præsidium generis humani & solatium, iuuenes omni eruditione & virtute perpolitos & ornatos; ita me quoque tuis accenseri ne desinas; qui emoriar,

SVAVISSIMA MATER,

Celeberrimo tuo Nomini

*SERVESTAE
ipsis Calendis Ianuariis
A.O.R. cIↃ IↃ CXCIX.*

æternum deuotus

IO. GEORGIVS PRITIVS.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME;
VIRI
Illustres & Excellentissimi; Maxime Plurimumque Reverendi,
Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi, Clarissimique;
Tuque florentissima Iuuentutis studiosæ concio.

* * * * *



Uod vnquam futurum esse sperare vix per vitæ meæ tempus ausus fui, vt tradendæ sublimissimæ scientiæ, quam Theologiæ vocabulo adpellitare nobis solenne est, adhiberetur industria mea; id nunc præter omnem exspectationem meam, & propemodum etiam vota, quibus res alias maximas complecti solent cupidissimi mortalium animi, singulari Numinis præpotentis suoque sapientissimo omnia temperantis moderamine, hodierno die contigit prouidentia. Quam Serenissimis auspiciis oblatam mihi nuper prouinciam ornare dum aggredior, non diffiteor, metem meam, multiplici alias folicitudine curisque sauciam, cogitationibus variis commoueri & tantum non percelli. Equidem ita animum meum induco, ac in ea sum opinione, quum omnes, qui in rudiori ætate ad præclara quæque capessenda vtiliter formanda, & in honestissimarum artium scientiis

iuuentuti impertiendis, ſuam conſumunt ætatem, difficultates ſibi obiici ſentiant maximas; tum vero illos, qui, poſthabitis ceteris omnibus, ad rerum diuinarum notitiam aliis communicandam ſtudia atque cogitationes ſuas contulerunt, cum magnis laboribus conflictari; & ſummam in ſuſcepti muneris adminiſtratione difficultatem experiri oportere. Quicquid in reliquarum diſciplinarum complexu continetur, id omne exquiſito rationis humanæ, recte ſeſe habentis, lumineque ſuo, quod habet inſitum, ſeſe perfundentis, ſcrutinio patere manifeſtum eſt: at vero princeps omnium ſcientiarum ſacroſancta noſtra Theologia, non niſi ex Dei, benigniſſime cognitionem ſui cum hominibus communicantis, reuelatione hauriri atque conſtare poteſt; quam vt recte atque cum ſalutari fructu intelligas, ipſius doctoris optimi, ſancti Spiritus, quo impulſore locuti ſunt, qui abſconditas de rebus diuinis doctrinas nobis tradiderunt, gratioſa illuminatione opus eſt; ad iſtam vero adſequendam continuum precum exercitium, fideique, robore ſuo vigentis, feruidiſſima nec vnquam interrumpenda colluctatio requiritur. Iam ſi reputemus quoque nobiſcum, in eo primariam theologiæ occupationem verſari, vt pulcherrimam illam imaginem, qua viuide in homine ſe repræſentare volebat Deus, quamque heu nimis infelici lapſu! perdidimus miſeri mortales, in nobis, quantum per hanc vitæ humanæ fragilitatem licet, reſtituatur; dici non poteſt, quam arduum hoc tædiorumque pleniſſimum ſit opus. Hoc enim vt præſtari poſſit, neceſſe eſt, vt homo bellum ſibi indicat ipſi, ſibique ipſi colluctetur: quod eſt, non actus ſaltem ſuos in ſpeciem ad honeſtatis formare regulam; ſed ebullientium cupiditatum reprimere vehementiam, deſideriisque corruptæ hominis naturæ, ſuauitatibus ſuis nobis adblandientis, repagulum obiicere, quantumque fieri poteſt libidinibus omnibus interitum adferre. Quod quam magnum ſit, quam

ope-

operosum, quam lubricum, quam ægre sustinendum, illi sciunt vel maxime, qui, quamuis auxilii diuini fiducia nitentes, eneruare concupiscentias suas atque edomare conantur, quique sensibus pristinis, quatenus a Deo auertuntur, crucem defigere constituerunt. Hæc autem, quod pertinet in primis ad functionem rerum diuinarum intelligentia animos hominum imbuentis, inculcare ætati, in deteriora fere procliui, & peruersis deprauatæ carnis consiliis obsecundanti, quanti quæso esse arbitramini, Auditores? Nisi me fallunt omnia, aut prouinciam non potero explere demandatam, aut exuendæ mihi erunt multæ, quibus fruitur mortalium vita, dulcedines; atque illæ inprimis, quibus homines, a gratia diuina destituti & vacui, inflammatis inhiant studiis, deliciæ; præterea nuntius mittendus erit rebus plurimis, quibus pretium mortalium, aliquando non pessimorum, fortunam suam sibi fingere volentium, ingens constituit alacritas. E contrario conuertendus ad Deum erit animus, isque indefessis religiose inuocandus precibus, vt mentem hanc spissis, quibus a natura obsidetur, tenebris caliginosaque nocte liberatam, sancto suo lumine complere lucisque æternæ radiis collustrare ac illuminare dignetur. Præsertim & exempli hic bonitas postulatur, in quod intuentes qui præeuntem sequi debent, quod efficacissimum docendi genus habetur, mature ad virtutis omnis exemplar elaborentur ipsi. Quid dicam amplius? quot subeundi iam erunt labores, quæ deuoranda fastidia, quot peruigilationes suscipiendæ, in auctorum huc pertinentium euoluendis cum cura lucubrationibus? Quæ cum pensiculatius considero singula, mentisque accuratiori lance trutino, quam minime ego ab iis rebus sim instructus, quas exposcit sane grauissimi muneris conditio, si tamen egregia inde vtilitas ad rempublicam redundare debeat, per me ipsum facile perspicio. Non inficior equidem, me, quoad pueritiæ memoriam possum recordari vltimam,

mam, & in temporis præteriti ſpatium reſpicere, mentem meam ſanctiſſimæ diſciplinæ amore inflammatam, quantum per fortunæ aduerſantis iniquitatem licuit, ardenter in eiusdem placita incubiſſe ſemper; nec pœniteret operæ & exantlatorum cum corporis quoque adflictione laborum, ſi, qui mea cauſſa volunt & bene mihi cupiunt, non plane adſpernari de me beneuole errantium velim judicium. Sed quam vix ſit in homuncione hoc aliquid, quod par eſſe poſſit rebus agendis, ego, qui exploratius me habeo cognitum & perſpectum, omnium optime ſentio atque experior. Sed quid faciam? non eſt profecto abiicienda haſta, quam ſemel arripui; in id contra omnibus viribus enixe contendendum eſt, vt hominum prudentisſimorum exſpectationi, quantum induſtria adſequi poſſum, ſatisfaciam. Obtempero igitur Deo in meſſem ſuam me vocanti, ſanam rerum cœleſtium doctrinam ſtudioſæ Iuuentuti, pulchre in præſidium patriæ nunc adoleſcenti, ex hoc loco impoſterum, quanta a me fieri poteſt alacritate explicaturus. Antequam vero id fiat, pro laudabili more atque conſuetudine inde vsque a maioribus obſeruata, non nihil verborum ſolenni oratione ad vos, Auditores ſplendidiſſimi, faciendum eſſe intelligo. Nec vero longius argumentum arceſſendum eſſe, & cum ſolicitudine inquirendum, cenſeo. Non facile abit hebdomas, qua non aliquid vel Roma, vel Pariſiis, vel aliis ex locis, de acerrima contentione, quæ illuſtrisſimo Archiepiſcopo Cameracenſi cum aliis quibusdam eminentisſimæ dignitatis Præſulibus intercedit, in relationibus publicis nobis adferatur. Digna res nobis viſa eſt, quæ, quantum per temporis rationem licebit, hac occaſione in notitiam veſtram adducatur; vt non pateat tantum totius actionis facies, ſed & quid de nobilisſima hac, in quam non Romana tantum ſed vniuerſa quoque Proteſtantium eccleſia exſpectatione erecta eſt, cauſſa habendum ſit; quidque exinde contra poteſtatem

tem

tem Papæ, quam ſibi arrogat, ferendæ de controuerſiis circa fidei capita ſententiæ, omnis erroris neſciæ, confici iure posſit, omnibus euadat manifeſtisſimum. Illud vero, antequam vlterius prouehatur oratio mea, a vobis, Auditores omnium ordinum honoratisſimi, enixiſſimis precibus contendo, vt ad breue temporis ſpatium de re inſignis momenti dicturo aurium beneuole operam commodare, fauoreque veſtro & benevolentia ſubleuare indiſertum me oratorem, ne dedignemini; qui daturus ſum operam, vt genere dicendi perſpicuo argumenti dignitatem, quod alia re facere mihi negatum eſt, commendem.

Vt autem a fonte totius controuerſiæ ordiamur, originem diſceptationi dedit editus a Franciſco de Salignac Fenelon, Archiepiſcopo & Duce Cameracenſi, viro non minus ſpectatæ apud ſuos doctrinæ ſingularisque dexteritatis, quam pietatis etiam humanitatisque præſtantisſimæ laude conſpicuo, libellus mole exiguus; quo tamen vniuerſam ſublimioris indolis theologiam, quam myſticam vulgo nuncupant, veluti in brevi aliqua tabella orbi chriſtiano exhibuit: quem, ſi vim tituli, Gallica lingua conſignati, recte adſequimur, Explicationem præceptorum hominum ſanctorum de vita interiori, inſcripſit. Quum enim videret vir acumine mentis pollens, & circa cauendas in rebus ſpiritualibus deceptiones ſedulus, facilem eſſe in maxime ambiguo iſtoc argumento in partem vtramque lapſum; nimis aliquibus theologiæ hoc genus, veluti fidei aduerſum, & inanibus ſpeculationibus, re ipſa casſis, ſingularis ſanctitatis ſpeciem ſuperbe vſurpans, temere adſpernantibus; aliquibus ex aduerſo in tanti momenti dogmatibus non ſatis commodis verborum formulis ſe explicantibus, vel in errores quoque grauiores reuera incidentibus; ſuarum arbitratus eſt partium, obuiam ire abuſibus errandique occaſionem omnem ſapienter præſcindere. Myſticos

igitur explicaturus accesſit ad laborem iſtum; hoc ipſo expertiones atque expresſiones Sanctorum, quos vocant, illuſtrare ſe poſſe, & id efficere confiſus, ne profanorum amplius hominum deriſioni atque ludibrio patentes euileſcant & contemtim habeantur. Id ipſe Archiepiſcopus, quum ad Pontificem Romanum hac de re litteras exararet, his verbis ſignificat, quibus, quod ad ſcribendum de Vita aſcetica & contemplatiua animum ſuum conuerterit, hoc inprimis fuiſſe ait, quod Sanctorum ſententias, a ſancta Sede toties comprobatas, ab aliis in flagitioſisſimos errores ſenſim detorqueri, ab aliis ſcilicet imperitis ludibrio verti, iam dudum animaduertiſſet. Hinc ergo natus ipſi eſt libellus iſte non adeo magnus, ſed rebus tamen, quod patet, præſtantisſimus. Per articulos vero viſum eſt Auctori illuſtriſſimo rem omnem diuturna meditatione apud ſe penſitatam, lectorum conſpectui proponere: quorum vnumquemque in duas veluti partes diſpeſcit, quarum vna, quod ad veritatem accedat; altera vero, quod veritati repugnet, in orbe omni totius theologiæ myſticæ repræſentat: perſuaſus, hac ratione ad liquidum veritatem explorari, fraudesque atque fallacias ex latibulis ſuis, quibus lateant abſconditæ, excuti posſe. Prima pars definitiones fere complectitur phraſium, quibus, qui de hoc argumento commentantur, vti conſueuerunt; quod eum in finem a ſe fieri dicit, vt genuinus illarum ſenſus omni ambiguitate euolutus, quibuscunque controuerſiis eximatur. Articulorum parte altera commonſtrandum ſibi ſumit, quænam ſint illæ concluſiones, quæ ex falſis initiis primo poſitis, ad animas, ſub imagine eminentis alicuius in fide pariter & moribus perfectionis, periculoſisſime decipiendas, prono quaſi deriuentur alueo. Ad duo autem, ſi de libri totius ſumma velimus inquirere, capita redeunt omnia, quæ ab Archiepiſcopo dicuntur, prout in epiſtola, ad amicum miſſa, ipſe nos docet. Primo enim caritatem animæ fidelis erga Deum

p. 115.
p. 151.

amo-

amorem sciscit esse purum, ita vt Deus propter se ametur tantum, non habito ad beatitudinem amantis ipsius respectu in ipso reperiendam. Alterum est, quod in vita animarum omnium perfectissimarum, caritas reliquas omnes anteuertat virtutes, vtpote quæ animet ipsas, ac inciter, ipsisque suos injungat actus ad finem quemque suum dirigendos. Vt primum illud caput exactius teneamus, scire iuuabit, amorem, quo mentes fideles erga Deum correptæ flagrant, non vnius generis statui a Præsule nostro. Tres enim diuersos esse gradus aut status iustorum, quamdiu terram, humani generis domicilium, inhabitant, adseuerat. Primo videlicet esse, qui Deum quidem ament præcipue; sed hunc tamen illorum amorem, quamuis sit affectus primarius & dominatum habens, nonnihil admixti tenere timoris, ne vtilitati propriæ minus consulatur. Esse deinde alios, qui magis adhuc amore in Deum ferri dici possint, præ rebus aliis præcipuo; cui tamen & ipsi, quantumuis reliquos omnes affectus emineat, spes felicitatis propriæ hinc consequendæ adhæreat. Esse denique multo iis, quos hactenus memorauimus, perfectiores, qui amore erga Deum ardeant purissimo; vtpote quos nulla emolumenti proprii ratio ad Deum eximia ista caritate complectendum impellat, sed illa tantum, quæ ad amandam pulchritudinem diuinam in & per se moueatur. Primum amorem iustorum quidem esse, sed qui nonnihil adhuc habeant spiritus seruilis; alterum esse iustorum, quos adhuc tenet spiritus mercenarius: tertium denique esse illorum, qui filii demum Dei mereantur nuncupari. Hoc ipsum esse, quod postremorum temporum auctores aliis quidem, sed idem valentibus, adpellitare soleant nominibus. Tres enim ipsos vias comminisci: vnam purgationis, in qua homines non amore tantummodo Dei, sed & metu pœnarum infernalium concitati debellent vitia; alteram illuminationis, in qua studio quidem virtutis feruenter pro-

progrediantur, ſed vt hinc eos amor diuini Numinis, inde ſpes felicitatis æternæ conſequendæ exſtimulet; denique viam contemplationis, ſiue vnionis, in qua filialem timorem nunquam aliquis deponat, nec ſpem, qua ducuntur filii Dei, abiiciat: licet homines hoc in ſtatu dum ſunt, nullo vel ex metu vel ex ſpe emolumento adducti; ſed puri amoris exercitio tranquillisſimo, Deo vniantur. Iſta omnia vt adhuc euadant clariora, lubet ea, quæ in limine ſtatim ſui operis de diverſis amoris gradibus præmittit Auctor, breuisſimis recenſere. Primo enim homines dari, inquit, qui Deum amare profiteantur, quem tamen non ament, ſed bona varia ab iſto diſtincta, quæ, a diuina potentia dependentia, confidant ſe a Numinis benignitate eſſe impetraturos; tali amore Iudæos carnales Deum memorat complexos fuiſſe, legis præcepta propterea obſeruantes, vt benignis cœli influxibus, & vberi ex terra rerum prouentu, fruerentur. ſed hunc amorem prorſus cenſet ſeruilem, quippe qui non in Deum, ſed in ſeipſum deſinat. Deinde Deum amari poſſe, vt medium ſaltem ſe reddendi felicem; vt Deus beatitatis humanæ habeatur inſtrumentum, qui ad ſe ceu finem vltimum referatur. hunc amorem pure eſſe mercenarium; inde & eundem amorem concupiſcentiæ nominat. Huic ſuccedere amorem ſpei, cum Deum aliquis incipit amare propter ipſum Deum, ſed ita tamen, vt ſuæ quoque rationem habeat felicitatis; ita vt magis adipiſcendæ ſuæ felicitatis cauſſa, quam Dei, amore diuino inflammetur. Sublimiorem adhuc eſſe amoris gradum, quando aliquis Deum amat tam cupide, tam caſte & emendate, vt omnem ei ſuam felicitatem poſtponat: non quidem, quod ſuo non hic quoque proſpiciat commodo; ſed quod amorem ſuæ felicitatis, amori, quo Deum amat, ſincere atque reuerentur ſubiiciat: qui amor longe ſit perfectior, quam illi, quos recenſuimus hactenus & deſcripſimus, amoris gradus, ſua tamen

p. 1.

men

men illum adhuc imperfectione laborare. vnde istum demum esse amorem purum atque perfectissimum docet, quando Deum ament piæ Christianorum animæ, nulla propriæ vtilitatis exinde ad se rediturae aut felicitatis spe adducti. Huc fere respiciunt omnia, quæ in toto hoc Archiepiscopi libro habentur: qui sane tam perspicue eoque linguæ nitore perscriptus est, vt sine nausea omni euoluatur, ab iis præsertim, qui libris, rebus profundis refertissimis, capiuntur. Nunc si placet videbimus, quem euentum habuerit viri eruditissimi labor, & quam varie ab hominum iudiciis fuerit exceptus. Statim ac vltimam libro consignato imposuisset manum, ad eundem in linguam Latinam conuertendum curas & cogitationes suas conuertebat; istum tamen, vt erat Gallico idiomate concinnatus, ad Pontificem Romanum cum litteris obseruantiæ suæ obsequiique plenissimis deferendum curabat, summa cum animi submissione supremi post Christum iudicis, qua falsa persuasione tenetur, iudicium expetiturus. Gratissimum fuisse munus Innocentio XII, rerum nunc domino, litteræ ipsius ad Archiepiscopum testantur, quibus gratias pro misso ad se munere ipsi agit, quibusque significat, & pergratam sibi accidisse missam ad se Archiepiscopi epistolam, & se in præclara opinione, quam de zelo, quo flagret ipse in adimplendis sui muneris partibus, gessisset, haud leuiter fuisse confirmatum. Quis vero non existimasset, reliquos, qui Romano Pontifici seruitio addicti parent, ordinis sacri homines, Patris sanctissimi secuturos fuisse sententiam? Sed omnia alia expertus Cameracensis est. Statim enim postquam in Gallia hæc mysticarum rerum explicatio disseminari & legi auide cœpisset, insurrexerunt in ipsum Præsules tres, in magno dignitatis fastigio constituti, nec minoris in ecclesia Gallicana auctoritatis, Ludouicus nempe Antonius de Noailles, Archiepiscopus Parisiensis; Iacobus Benignus Bossuetus, Episcopus Meldensis,

Instruction Pastoral p. 224.

 sis,

fis, variis aduerfus ecclefiam Proteftantium molitionibus ingentem apud fuos famam adeptus; & Paulus denique de Godet, Epifcopus Carnotenfis: qui edita Declaratione prolixiori libellum Fenelonii vehementer perftringunt, variorumque grauiffimorum errorum poftulant; atque inter alia hæc docent effe intolerabilia, quod, fi Archiepifcopi dogmata fectemur, omnis fpes theologica, cum extra gratiæ ftatum, tum inter perfectos in ipfo gratiæ ftatu, tollatur: eo quod ante iuftificationem amore fpei ita dicat amari Deum, vt in eo amore amor fui, proprii nempe commodi fiue propriæ felicitatis, tanquam præcipuum incitamentum dominetur, ipfique, qui ex diuinæ gloriæ ftudio exiftit, impulfui præualeat; vnde prona confecutione efficiatur, fpem non theologicam virtutem effe, fed vitium. Poft iuftificationem vero, in ftatu perfecto, fiue amoris puri, eam fpem ab ipfo induci, quæ, cum quidem fit in animo, animum tamen non moueat, quippe in quo amor fit purus, cui nihil vel timoris vel fpei ob rationes proprias fit admixtum, animaque nunquam vtilitatis propriæ intuitu ad officii fui obferuationem excitetur. Vnde illud eos inprimis male habere videtur, quod in ftatu hoc perfecto, nullo iam mercenario vtilitatis propriæ defiderio, ex mente Cameracenfis, homo teneatur. Quin & multa effe in articulis Præfulis, quæ infamia Molinofii, &, qui ab eo originem ducunt, Quietiftarum condemnata iam pridem dogmata præ fe ferant; quale fit, quod actum continuum, omnibus Scripturis Patribusque inauditum, abfurdiffimumque errorem a Quietiftis in ftatum perfectionis inuectum, fub nomine placidæ cuiusdam & æquabilis vniformitatis, denuo lectoribus fuis propinauerit; quodque orationem quietis & ipfam contemplationem in puriffimo amore, qui non modo per fe iuftificet atque purificet, verum etiam confummet & perficiat, confiftere ftatuat. Nec fubftitit intra declarationis nudæ terminos contradicendi-

Declaratio Epifcopor. p. 204. feq.

di in Prælulibus ſtudium; ſed grauiſſimas præterea ad Galliæ Regem detulerunt querelas, peſſimum aientes eſſe hunc librum periculoſiſſimumque, id quod tum Epiſcoporum tum Doctorum vnanimi ſententia confirmetur. Quibus ille commotus, non liberorum duntaxat regiorum, quorum ætati ad pietatem atque honeſtatis ſtudium formandæ ipſe præpoſitus erat, curam ei & inſpectionem ademit; ſed ſcriptis quoque ad Papam litteris litem hanc eidem denunciauit, petiitque, vt controuerſiæ, contendentium ardore latius ſeſe indies diffundenti, iudicio ſuo atque cenſura quam celerrime finem imponat. Quid Papa? Rem decem examinatoribus accurato ſtudio penſitandam committit: qui tamen, quod mirum eſt, in duas æquales partes diſcinduntur ſententiis; quinque ex his omnia libri capita, etiam illa, quibus teterrima hæreſeos nota ab accuſatoribus Viri illuſtriſſimi impingitur, ſuo calculo adprobantibus; quæ reliqui quinque ſummopere improbant, & veluti capitales errores reiiciunt. Quid multa? oportet ſummum eccleſiæ caput decem illis arbitris duos adiungere alios, viros eruditione præſtantiſſimos, Cardinalitia quoque purpura effulgentes, Noriſium ac Ferrarium; hac ſpe ſe ſuſtentans, futurum eſſe, vt doctrina & prudentia virorum iſtorum tanti momenti negotium iuxta Scripturam, ſcilicet, Conciliorum canones, & Patrum doctrinam componat. Equidem qui Cameracenſis partibus ſunt addictiores, non verentur adſerere: quod examinatores in partes abierint diuerſas, id non a materiæ, quæ facillime expediri poſſit, difficultate eſſe; ſed ab aduerſariorum, quos habeat infeſtiſſimos reus, examinatores ſuffragii & fauoris prenſatione ſolicita ſuos facientium, ſolertia. Protrahitur inde actio, nec, ſi, quæ ſit ratio agendi, conſideramus, tam cito ad finem perduci poterit. Congregantur Cardinales qui ſanctum, quod dicunt, Officium conſtituunt, bis ſingulis hebdomadibus, die Lunæ atque Mer-

p. 267.

Lettres Hiſtoriques mois de Mars 1698. p. 245.

Mercure Hiſtorique mois d'Aouſt 1698. p. 125.

curii, audiuntque vna vice vnum vel duos examinatores; Iouis vero die iidem Cardinales coram Papa se sistunt, in quo conventu duo semper examinatores ea referunt, quæ diebus aliis coram Cardinalibus iam dixerant prolixius. Vbi quidem tam

Ibid. p. 126. lento gradu progressus datur, vt mense Iunio huius anni nondum de prima propositione satis dixerint, quum tamen de triginta & pluribus expromenda ipsorum sit sententia. Sed Romæ non tantum a viris doctissimis supra caussa hac disceptatur; sed aliis quoque in regnis rerum diuinarum doctores in partes venerunt. Vt enim ex relationibus publicis accepimus

Dit 27. Sept. Mercure Historique Septembr. 1698. p. 256. hactenus, in Academia Salmanticensi, quæ in Hispania floret, instituta congregatione, theologi decreuerunt, non esse reprobandas opiniones Archiepiscopi laude dignissimas, & scripta huius argumenti non statim esse exsecratione deuouenda; in hanc vero, additur, sententiam ipsos iudicasse de hac controuersia propterea, vt vlciscerentur affectus suos erga Sorbonam, librum Mariæ de Agreda haud ita pridem inepte condemnantem. quanquam alii compertum esse velint, diversum ab hoc iudicium ex collegio isto prodiisse. Non minus & Lutetiæ Parisiorum celebratissima illa Sorbona velitationibus istis permista fuit. Quum enim Fenelonius in vrbe Roma diuulgari per suos curauisset, doctores Sorbonicos, nisi Regis obstaret, quæ metuenda ipsis sit, auctoritas, in Archiepiscopi sententiam per omnia esse discessionem facturos; Papa Romanus articulos illos, qui liti præbent materiam, & quos ad numerum duodecimum constrinxerat ante, Parisios misit, vt Doctores illi, fama eruditionis celeberrimi, animi sui sensa circa eosdem exponerent: quorum quidem plures quam centum ipsos veluti erroneos obelo confixerunt, damnandosque esse censoria sententia iudicarunt. Hæc & alia dum aguntur & in Gallia, & Romæ, & locorum alibi, non defuit sibi profecto Archiepiscopus, quamque semel tuendam suscepit

caus-

caussam, eius strenuum defensorem se porro præstitit. Statim enim ac tres illi in Gallia præsules Declarationem contra eundem ediderant, ille emissa in publicum Pastorali Instructione, quæ obiiciuntur, non artificiose tantum diluit, sed & mentem suam circa ea, quæ dubitationis quidpiam habere videri possunt, plenius explicat. Hoc in libello simul virorum præstantissimorum suam in rem allegat auctoritates, tam Patrum, qui primis ecclesiæ seculis floruerunt, laude pietatis illustres, quam theologorum quoque mysticorum, qui superioribus temporibus theologiam hanc magna nominis sui celebritate excoluerunt. Factum hinc est, quod fieri eiusmodi occasionibus adsolet, vt libris vltro citroque editis, magna animorum acerbitate dimicaretur, Meldensi præsertim episcopo Cameracensem infenso admodum animo oppugnante; cuius hunc tamen ictus & fortiter adhuc sustinuisse, nec minori dexteritate atque præsentia animi adgressorem suum ab inferendis sibi vulneribus detpulisse, adparet. qui & conquerendi ansam se sæpe habere clamitat, quod Bossueti scripta, in se contorta, publice in viis & compitis prostare permitterentur; sua ex aduerso simul ac lucem adspexissent, crudeliter supprimantur: iniquissima agendi ratione, qua populo, harum rerum intelligenti, omnis de quæstione ferendæ sententiæ occasio subripiatur, occupatis contra se variis criminationibus hominum animis; & nullo sibi relicto medio, quo suam innocentiam, refutatis aduersariorum suorum accusationibus, ad liquidum deducere possit. Harum omnium rerum licet ignarus non sit pastor iste vniuersalis, cuius erat ante omnia officii, id prouidentissime curare, ne respublica christiana detrimenti quidpiam acciperet; passus tamen hactenus est, lente, vt diximus, admodum procedere examinandi libri laborem; vt necdum, quem exitum habitura sit controuersia, quidque de Archiepiscopi opinionibus sit statuendum, orbi constare queat. Quamuis qui in aula Ro-

mana verſantur Regis Galliæ miniſtri non deſinunt ſolicitiſſime ſanctiſſimum Patrem ſui nomine Regis admonere, adiunctis exquiſitiſſimis etiam precibus, vt demum prolata ſententia litem difficillimam, pro ea, qua pollet, auctoritate gratiaque diuinitus conceſſa, vel tandem dirimat; non obſcuris in Meldenſem ſociosque ſtudiis, odioque in Cameracenſem manifeſto. In contrariam interim partem feruntur hinc inde hominum iudicia, quorum multi Archiepiſcopi partes amplexi, rem pietatis ab eodem ſtrenue agi laudabilique conatu prouehi contendunt. Plurimi autem, & fortaſſe maior pars, auerſo ab hoc genere theologiæ animo, craſſiſſimos errores a Viro ſub imagine eminentioris ſanctitatis inuehi, & ipſum, qui eiectus iam diu ſit ex eccleſiæ pomœriis, Quietiſmum intempeſtiuo ardore reuocari, vociferantur. Habetis, Auditores honoratiſſimi, breuiſſimis ea, quæ tanto ſtrepitu, tanta animorum commotione omniumque expectatione, in eccleſia Romana circa theologiam myſticam, ab Archiepiſcopo Cameracenſi noua veſte indutam, eiusque aduerſariis, aguntur. Nunc requiretis fortaſſe a me, vt quid de tota hac controuerſia cenſendum eſſe nobis videatur, ea expromamus iudicii æquitate, ea animi moderatione, quam debet extra partium ſtudia poſitus ad ſententiam iuſte ferendam adferre. Agedum ergo dicemus, ſi ita vultis, Auditores, quantum poſſumus, ea tamen oris libertate, qua animi ſenſa explicare in ea ſemper licuit Eccleſia, quæ non opinionibus hominum, ſed immotis oraculorum diuinorum fundamentis, ſuam ſe ſuperſtruere fidem, & præſertim conſcientiæ libertate illibata gaudere gloriatur. Vbi tamen neutiquam negamus, arduum eſſe opus, magnisque difficultatibus circumſeptum, nec minori periculo, vt & fallamur ipſi, & aliis ad errandum præbeamus occaſionem, expoſitum, ſuam in controuerſiis, quæ in eruditorum gente ſæpiſſime feruenter agitantur, interponere ſenten-

ten-

tentiam. Profecto nisi quis aduersantium partium probe ingenium perspectum habeat, noueritque, quæ sint illa, quibus impulsi ad feralia bella accedant, quidque animo versent, vix poterit de vnaquaque parte recte arbitrari. Nam & hic videas non aliter rem geri, quam in bellis, quibus in orbe, qui regnis administrandis præfecti sunt, colliduntur: quorum longe alii sæpe sunt prætextus, cur ad arma prouolauerint, omniaque sanguine, cæde & ruinis misceant, quam veræ caussæ atque principia. Enim vero latent omnino in animis quoque eruditorum, &, quid dissimulemus? illorum etiam, qui sacris functionibus distinentur, affectiones admodum noxiæ atque turpes, quas abesse sane a mansuetissimis animis oporteret; quæ tamen quum excitantur paululum, dici non potest, quanta cum vehementia in quantas turbas erumpant. Tales sunt, cupido immoderata conciliandæ sibi in orbe vniuerso famæ, imprudens rerum nouandarum studium, intempestiua curiositas, inuidentia erga alios, quos supra se eminere atque æstimari cernunt, ferox contradicendi libido, inclemens omnia in sequiorem sensum rapiendi pruritas, pertinax, quod semel arreptum est temere, defendendi ardor, odium, quo erga eos feruntur, quos suis luminibus obstruere vident, mitigari nescium, turpissimus non de veritate, sed de victoria, contendendi conatus, male consultus in rem Dei zelus, & quæ sunt pestes reliquæ, magna pernicie mortalium genus inuoluentes. Quod si ergo penitius haberemus introspectum, quinam sint habitus animorum in illis, qui nunc in aciem progressi tanta & inuadendi & repellendi aduersarii alacritate concurrunt, non dubium est equidem, quin de tota re dexteritate & circumspectione longe maiori possit pronunciari. Quod quum negatum nobis sit, fingamus vtramque partem id quod agit, bono instituto, & animo nonnisi ad optima quæque propenso, agere. Vt igitur ad rem ipsam accedamus paulo propius,

tra-

tradit liber iste noua quadam ratione theologiam mysticam. Quo in loco ne exspectetis a me, Auditores, vt quid sit theologia hæc, longa oratione explanatius vobis edisseram; nam id & paulo altius nos proueheret, & a viris omnium partium præstantissimis iamdudum fusissime est præstitum. Porro, quo in censu ea sit habenda? exterminandane sit ex limitibus christianæ reipublicæ, an colenda sit atque in deliciis habenda? sæpe quidem disquisitum fuisse meminimus. Nos id quidem videmus, neque Lutherum nostrum, virum sine controversia sanctissimis diuini Spiritus muneribus copiose & profluenter exornatum, neque alios, qui ipsum insecuti sunt postea, theologos, pietatis studio feruentiores, adeo huius generis theologiam voluisse proscriptam, vt potius eandem ad sanitatem reuocatam, quæ sub horridis antea vocabulis tantum non laborabat, piis animabus de salute sua solicitius satagentibus solerter commendauerint: quippe quæ iugem pœnitentiam, rerum sub adspectum cadentium caducarumque fastidium, ardens e contrario rerum cœlestium desiderium, peccatorumque fugam, summopere inculcat, & inordinatas animi concitationes iactationesque mentis incitatas supprimere subinde docet. Ac mihi quidem scripta euoluenti illorum hominum, qui suos inter magno feruntur encomio, Tauleri, Susonis, Iohannis a Cruce, Theresiæ, Francisci Salesii, Bonæ, aliorumque, non diffiteor equidem, multa occurrere, tum quæ intelligentia mea non percipio, tum quæ mihi non videntur esse consentanea, tum quæ verbis obscurioribus & sensu vero destitutis dicuntur, tum & quæ plane a saniori doctrinæ forma abeunt: nec tamen id quoque negari vlla ratione posse video, adesse in eiusmodi auctoribus plurima, quæ quantiuis sint pretii, nec absque insigni christianæ religionis detrimento queant reiici. Vt adeo neque improbanda sit eorum opera, nec frustranea, qui, quum saniori theologia sub-

acti iam sunt, huius argumenti libros euoluunt; quamuis dissimulandum sit minime, ea omnia, quæ a mysticis traduntur, religionis capita, in theologia, quæ in nostra viget ecclesia, tradi æque accurate posse & proponi. Archiepiscopus igitur noster, vt eo se referat oratio vnde paululum discessit, in eorum voluit esse numero, qui in theologia mystica illustranda operam suam collocare e re esse censuerunt. Nec videtur sane ad sustinendam eiusmodi personam parum esse idoneus, vtpote in Scriptoribus, vetustioribus non minus quam recentioribus, (quod requirebatur in illo, qui operam hanc suscipere audebat,) versatissimus. Ad eruditionem istam eximiam adiunxit præterea modestiam, veritatisque & pacis studium plane singulare. Vt enim ex literis eius ad amicum adparet, animo docili atque submisso petit ab omnibus, vt, si in aliquo errore hæreat, is ipsi perspicue demonstretur; si male se explicauerit, pati se posse affirmans, vt in melius reformentur, quibus minus recte fuerit vsus, loquendi formulæ. Quod si res indigere videatur vlteriori explicatione, profitetur, ad hanc magna animi promtitudine addendam, studium se velle adhibere. Si vero Papa librum suum sit condemnaturus, primum se fore, qui & ipsum condemnet, eiusque lectione interdicat omnibus suæ curæ subiectis; hocce tantummodo a Pontifice Romano flagitaturum, vt loca adnotet ipsa, quæ sua censura notaturus est: si vero Papa hanc doctrinam non sit condemnaturus, suo se silentio conaturum esse dicit, fratrum sibi infestiorum animos, eaque sibi imputantium dogmata, quæ non minus ipse exhorrescat, lenire atque placare. Qui ita adfectus est animo, veritatem certe quærere, non hominum plausus captare videtur. Iam de libro quoque ipso, & eius argumento, si iudicare maxime velimus, erunt ante omnia in vniuersum quædam obseruanda, quæ nisi attenderimus, æquum iudicium de auctoris alicuius opere nulla ferre ratione possumus.

p. 189.

Librum ergo, res in vſum atque exercitationem transferendas enucleatius tradentem, ſi ad examen quispiam reuocare inſtituerit, ſtudioſe attendat neceſſe eſt principio, ad quem ipſe collineet ſcopum; quænam porro ad eundem conſequendum adhibenda doceat eſſe media; & demum, quam dextre in mediorum verſetur adplicatione. Quod ſi ſcopus omnis huc redeat, vt amore mutuo Deus coniungatur cum hominibus, aut impedimenta, ſanctiſſimo huic amori intercedentia, remoueantur; erit certe liber ipſe accenſendus præcipuis, ac ſummum libri caput in bonis erit habendum. Quod ſi & ipſa media ad ſcopum attingendum adprime ſint attemperata, ſintque vel virtutes, vel quæ impedimenta ſaltem remoueant; eo magis opus ipſum cum laude erit excipiendum, quo magis viam, qua laudabiliſſimo potiamur ſcopo, expeditum commonſtrat: ſi vero contingat, media quædam adferri, quæ in ſe vel minus bona & vera ſint, vel ad finem ſuum minus apta & congrua, ſi modo ceteroquin talis vere eſt, quem diximus, libri ſcopus, non ideo ſtatim capitalis eſt error exſculpendus, aut hæreticus declarandus liber; id potius conſiderandum venit, an eius ſint indolis media illa, quæ vel penitus ſcopum ſuſtollant, vel an inpedimento ſint, ne eum contingere valeamus. Quo in caſu, ſi ab auctore ex mentis imbecillitate fuerit erratum, non accuſandum eundem eſſe arbitramur, ac ſi ſcopum vel negare vel tollere voluerit; quin conueniens potius erit, blande eundem atque beneuole de hallucinatione commiſſa admonere, atque edocere meliora: quæ ſi agnoſcat, ob ingenuitatem laudandus erit; ſi vero ob caliginem menti offuſam, nec errorem ſuum nec meliora agnoſcat, ſcopum autem retineat, chriſtianæ caritatis ac rationis eſſe omnino videtur, tantiſper eum fraterne tolerare, quousque a Deo copioſiore lumine beetur; niſi ſit euidens, ſubdole agere hominem, ac quum ſcopum ipſum flocci pendat, media quoque, a ſcopo vero abducen-

ducentia, tanquam ad eundem conducibilia, commendare; & tum vero censura in eum est expedienda. At si media minus sint idonea, sed ex rerum minutarum genere, vnde non metuendum sit ingens detrimentum; quis esset tam inclementer morosus continuo, tam ab omni humanitate alienus, vt ad duriorem temere prouolet censuram, ardoreque intempestive solerti tam leuiter erranti dirum hæreseos crimen dictatorio calamo impingat? Dissimulanda hæc sunt, pacis retinendæ caussa, immo & excusanda, vt errata innoxia; nec, vbi obiter ista sunt refutata, pertinacius censuris insistendum est. Vlterius, si bona adsit mentis voluntas, conatusque feruens hisce mediis eundi ad Deum; tanti res merito habenda est pretii, vt manca etiam media & mutila nullam operi adspergere maculam iudicari ab æquioribus debeant. Vnde denique, si scopus mediaque ad scopum, & mediorum adplicatio, recte sese per omnia habent; verba quoque aliquando duriora a pio & bene cupiente lectore beneuolum nanciscantur interpretem. Nam hac qui mente sunt præditi, non patientur sibi a modis loquendi adferri remoram; quibus satis est, clare se percipere scopum, & media nouisse, ad eundem se ducentia. Hæc omnia vt cum mitissima Christi disciplina præsertim conueniunt; ita qui velit de Præsulis Cameracensis placitis existimare, si obseruanda sibi putet, haud paulo liquidius, ab vtra parte stet veritas, perspiciet. Non vacat tamen nunc ire per singula, & quæ vel placeant, vel displiceant, in libro tot conuitiis appetito, demonstrare. Hoc video, quæ de amore puro commentatur Vir illustrissimus, nobis propterea non esse plane adspernanda, quod caussam nostram contra Pontificiorum de operum bonorum meritis commenta valide adstruant. Si enim in eum perfectionis gradum, quod auctoris nostri scitum est, adduci potest anima fidelis, vt nullam amplius commodi, nullam mercedis, nullam præmii rationem habet; immo si iste demum, vt porro

decernit, est amor perfectissimus; dari viam apparet, qua perfectissimi vel absque meritorum & bonorum operum subsidio in beata illa cœlorum regna enitantur. quæ est illa ipsa doctrina, quæ ab ecclesia Protestantium vniuersa immotis iam diu monumentorum sacrorum monumentis constabilita, pro capite sanctissimæ fidei nostræ maxime primario iure meritoque habetur. Sed fuerunt profecto, cur ista sanciret, Archiepiscopo non plane nullæ rationes, quum præeuntes haberet tot viros, meritis & pietate incomparabiles. A sua parte stantem

Strom. lib. II. p. 485. habet Clementem Alexandrinum, cuius hæc sunt effata: *δεῖν οἶμαι, μήτε διὰ φόβον κολάσεως, μήτε διά τινα ἐπαγγελίαν δόσεως, δι' αὐτὸ δὲ τὸ ἀγαθὸν, προσεληλυθέναι τῷ σωτηρίῳ λόγῳ. Existimo oportere neque propter metum supplicii, neque propter aliquam doni promissionem, sed propter ipsum bonum, accedere ad verbum salutare.* Consentientem habet Augustinum, cuius hæc est doctrina: fruitionem, ad quam semper tendit amor, non esse Dei possessionem, ad quam intuitu nostræ vtilitatis contendimus; sed vnionem esse cum Deo, qua non Deus ad

Augustin. de Doctrina christiana lib. I. cap. IV. p. m. 9. nos, sed nos ad Deum toti referamur. *Frui,* inquit, *est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Vti autem, quod in vsum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est.* Vnde & monet alibi: *Ipsum amemus propter ipsum.*

Serm. 256. de Tempore.

In Thesauro ascetico Possini opusc. IIX. cap. 20. p. 207. Pollicem sibi habet prementem sanctum illum Macarium, cuius verba sunt ista: *Οἱ πρὸς ἀλήθειαν τὸν θεὸν ἀγαπήσαντες, οὔτε διὰ τὴν βασιλείαν αὐτῷ δουλεύειν προείρηνται, καθάπερ ἐμπορίας χάριν καὶ κέρδους· οὔτε μὴν διὰ τὴν ἀποκειμένην τοῖς ἁμαρτωλοῖς κόλασιν· ἀλλ' ἅτε θεὸν μόνον αὐτὸν καὶ δημιουργὸν ἴδιον ἠγαπηκότες, καὶ ἀκολουθίᾳ τάξεως ἐπιγνόντες, ὅτι δεσπότῃ καὶ κτίστῃ δούλους εὐαρεστεῖν ὀφειλόμενον. Qui Deum vere amauerunt, neque ob spem regni elegerunt ei seruire, quasi mercatores lucrum, aut operarii mercedem captantes: sed neque ob metum præparatæ peccatoribus pœnæ; verum in illum, vti Deum solum & crea-*

creatorem proprium, adfectu inclinati, ex recte conclusa inde ratione consequenter agnoscentes, æquum ac iuste debitum esse, vt creaturæ conditori, serui domino, propter ipsam eius excellentiam, placere ac gratificari studeant. Et aliquibus interiectis pergit: *Καὶ δι' ἀμφοτέρων γὰρ αἱ ψυχαὶ τῷ κτίσαντι δοκιμάζονται· ἵνα δῆλοι σαφῶς γένωνται τίνες οἱ μὴ κέρδους αἰτίαν θέμενοι τὴν πρὸς ἐκεῖνον ἀγάπην· ἀλλ' αὐτὸν μόνον τῆς πολλῆς τῷ ὄντι καὶ φιλίας καὶ τιμῆς ἄξιον. Et per ambas istas res a conditore animæ probantur; vt his explorationibus manifesto adpareat, quales sint: mercenariæ ne nundinatrices caritatis, quæstus sui caussa Deum amantes; an solum propter seipsum eum diligant: quod illum, vt est in sua natura propria, citra respectum ad nos, omni dignum amore honoreque sciant.* Nihil nunc dicimus de Tertulliano, Basilio, vtroque Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Theodoreto, Bernhardo, aliisque viris ecclesiæ Patrum nomine venerandis, ad quos, eadem vel similia docentes, confidenter prouocat ipse. Sed non ad hos tantum, sed & ad alios quoque, qui posterioribus seculis in ecclesia Romana magnam sanctitatis singularis famam consecuti sunt, nonnullis eorum in Sanctorum etiam tabulas cooptatis. ita enim Albertum Magnum, Thomam, Bonauenturam, Dionysium Carthusianum, Thomam Kempisium, Susonem, Rusbrochium, Iohannem a Cruce, Theresiam, Franciscum Salesium, aliosque plures, vel duces suos vel testes doctrinæ suæ ciere gaudet. Equidem quum circa hoc de amore purissimo caput omnis vertatur controuersia, credo id nunc a nobis requiri, vt, quousque is vel admitti vel reprobari debeat, ostendamus. Sed date veniam, Auditores, si in argumento omnium difficillimo delicatissimoque, aliorum potius respectem sententiam, quam aperiam meam. Referam itaque quæ nuper admodum in corona virorum præstantissimorum, quum altercationum istarum forte iniiceretur mentio, eruditissimis sermonibus vltro citroque

Instruction Pastorale p. 72. seq.

p. 107.

troque iactata, a me, vt ſum earum rerum admodum curioſus, auribus atque memoria ſunt excepta. Quum ergo ex amicis non nemo ex iis, qui congreſſum iſtum celebrabant, forte ſciſcitaretur, quem putarent demum illuſtriſſimæ litis fore euentum? & quid ſentiendum ſit de iſto amore puro? ſtatim vir canitie venerandus, & tum incomparabili eruditione, inprimis in rebus ad ſalutis negotium & res ſpirituales pertinentibus, tum & inſigni vitæ ſanctimonia, in magna apud omnes laude; excipiens ſermonem, his verbis ſui animi explicabat ſenſa: Tam indulgentem eſſe Deum, beneuolentisſimum patrem, vt permitteret filiis ſuis eo ipſo, dum ſincero amore & ex grati animi ſtudio præceptis ſuis obedienter ſe ſe attemperant, in præmia fidelibus promiſſa intueri. Quo fundamento omnes inniti tum prolixas illas promiſſiones, tùm minas, quibus ad conſectanda ea, quæ ſunt pia atque laudabilia, & ad fugienda ſecus ſe habentia, illos vult exſtimulare. Quanquam enim iure ſuo perfectiſſimam obedientiam, nullo propoſito præmio, ab iis, quos ſua finxit manus, poterat expoſcere; in eo tamen ipſum ſummam ergo nos declarare benignitatem, quod, antequam ad bene agendum accingamur, eximiis pollicitationibus ſegnitiem noſtram excitet. inde non diſplicere ipſi eorum obedientiam, qui vno veluti oculo in ipſius voluntatem & gloriam, altero in bona tam large promisſa reſpiciant; quin & viros ſanctisſimos eo incitamento, veluti flabro aliquo, opus ſubinde habuiſſe, quo fidem & obſequium ſuum mandatis diuinis præſtandum, exſuſcitarent; cu-
Ebr. XI, 26. iusmodi de Moſe dicitur, maioris ipſum probra Chriſti æſtimaſſe, quam redundantes Ægypti theſauros, eo quod ante oculos haberet ingentia illa præmia in cœlo ſibi repoſita. Nihilominus hunc omnino ſublimiorem eſſe amoris gradum, quo & connitendum ſit quam maxime, tam ſincero animi adfectu in Deum ferri, tam caſte officia hominis Chriſtiani obire,

re, vt nihil præter Deum attendamus; idem etiam facturi, si nec de cœlestibus gaudiis, nec de infernalibus cruciatibus, nobis aliquid esset inauditum. Immo, addebat, ista non intra nudas animi speculationes consistere, sed fieri reuera posse, vt homo fidelis, gratiæ adiutorio subnixus, ad tam altum amoris fastigium adspiret; allegato in hanc rem admirando Pauli exemplo, qui pro fratribus suis secundum carnem exsecratione in æternum a Christo separari optabat. Rom. IX, 3. vnde conficere volebat, si amor erga fratres eo adducere hominem potest, quare non idem valeret efficere ardentissimus amor erga Deum? Nec deesse præterea alia virorum deuotissimorum exempla, similia de se testantium, quibus caussa sit nulla, cur fidem non habeamus. Huic sermoni quum imposuisset finem vir summus, videbantur quidem multis hæc fortiter & christiane dicta, plausuque a quam plurimis excipiebantur singulari: sed aderat insimul vir quidam, elegantissimi ingenii acumine prestans, qui plane diuersum sibi persuasum esse adseuerabat. Vnde quum reliquos plenius eius mentem percipiendi desiderio teneri animaduerteret, altius ingressus, atque a primis vsque principiis rem repetens; negabat animam nostram aduersus quamcunque rem inclinare se posse, nisi quadam vi in mentem facta, quæ ad suam quærendam beatitudinem perpetuo eandem stimulet: quam propensionem a natura nobis insitam & penitus infixam erga felicitatem, tantam omnino esse, vt nulli rei amore nostro possimus inhærere, nisi quæ & in quantum nobis conueniat, hoc est, ad nostram aliquid conferre possit beatitudinem. Hæc vt probaret, largiri aiebat omnes, rem, vt amari possit, debere esse amabilem, & eiusmodi vt a nobis desiderari possit. nam fieri nulla ratione posse, vt res aliqua ab aliquo ametur, nisi aliqua ex parte cum ipso conueniat. hactenus enim rem amabilem esse & desiderabilem, rem vnam esse atque eandem; quum in omnibus creaturis, vi intelligendi

orna-

ornatis, amor re ipsa nihil sit aliud, quam desiderium sibi rei conuenientis. Hinc porro colligebat: quemadmodum ergo potest aliquis suo desiderio rei imminere, nisi sit in ipsa quidpiam, quo desiderium hoc ad se trahat? Quod si vero hic aliquis velit dicere: adesse perfectiones in Deo absolutas, bonitatem atque pulchritudinem tantam complectentes, quæ appetitum nostrum ad se alliciant; atqui, regerebat ipse, si perfectiones istæ absolutæ nullam habent conuenientiam cum nobis, nos quoque nullo alio respectu ipsorum tangemur sensu, quam qui sit plane indifferens, quique nos nihil omnino commoueat. Nonne enim praui isti genii, æque ac nos, perfectionum in Deo absolutarum habent cognitionem? qui tamen adeo Deum non amant, vt horribili eundem prosequantur odio, hac ipsa ratione inducti, quod nihil exinde ad se in miserrimo rerum statu redundet vtilitatis; quod fieri non posset, si perfectiones istæ idoneę essent ad creaturarum amorem prouocandum. Sint ergo perfectiones istæ ingentes, id quidem habebunt, vt admirabilitatem possint conciliare, nunquam vero efficere vt voluntas nostra amore in easdem incendatur. Hæc vt melius comprehendantur, hoc a nobis, subiiciebat, sit positum: duo esse numina infinita, eaque perfectissima, quorum vnum in se veluti inclusum acquiescat felicitate sua, nec se extra se communicet; alterum vero suas perfectiones suamque felicitatem communicet rebus intelligentibus, a se productis, hominesque cumprimis omni bonorum genere reddat beatos. Si ergo absolutæ duorum entium istorum perfectiones ab iisdem essent cognitæ, quisquamne existimet, pari vtraque modo numina ista esse amabilia? an non vero locum hic habeat illud, quod ait apud Ciceronem Cotta: *Si maxime talis est Deus, vt nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat.* Epicureorum hoc olim fuisse dogma, qui quum diuinam prouidentiam libertatemque sustollerent, pietate tamen Deum

Cicero De natura Deorum lib. I. cap. 44. in fine.

Deum cohoneſtandum eſſe propter excellentiam profeſſi ſint. Quemadmodum, *ſi nihil aliud quæreremus*, inquit Velleius ex Epicuri familia apud Tullium, *niſi vt Deos pie coleremus, & vt ſuperſtitione liberaremur, ſatis erat dictum: nam & præſtans deorum natura hominum pietate coleretur, quum & æterna eſſet, & beatiſſima. habet enim venerationem iuſtam quicquid excellit.* *Ibid. cap. 17.*

Retulimus, Auditores, quantum memoria ſuggeſſit quæ diffuſius tunc a viris clariſſimis diſputabantur; quorum quæ ſententia firmiori innitatur talo, vos, pro animi veſtri perſpicientia, ſapienter arbitramini. Mihi vero inter omnia ea inprimis placuerunt verba in Archiepiſcopi libro, quibus in Inſtructione, quam vocat, Paſtorali monet; *illos tanquam Antichriſtos eſſe reſpiciendos, qui inſpirare fidelibus perfectionem cupiant; per quam ex oculis amittant Ieſum Chriſtum, auctorem & conſummatorem fidei.* Sed nos quidem ad Pontificem potius Romanum conuertemus nunc paululum oculos, quem pro infallibili controuerſiarum, in rebus fidei exſurgentium, iudice ab eccleſia Romana haberi conſtat omnibus. Ad eum vero a Rege Galliæ Præſulibusque, Cameracenſi infeſtis, delata iam pridem, vt memorauimus, hæc lis eſt, ſuo vt arbitrio arduam & momenti maximi controuerſiam componat. Verum in quantas difficultates ſe inuoluerunt illa, quæ exiſtimantur, eccleſiæ columina? Quid enim? putantne poſſe finiri Pontificis ſententia litem tantis animorum motibus agitatam, & vniuerſam pene Galliam miſere in partes diſtrahentem? Hoccine vero eſt dogmatibus ſuis congruenter & conſtanter agere? Oblitine ſunt, quod toties in ipſa Gallia firmatum ſtabilitumque eſt, veluti doctrina nulli dubitationi obnoxia: iudicium Pontificis non eſſe erroris neſcium, niſi id vel in Concilio aliquo generali, vel cum conſenſu vniuerſæ eccleſiæ ipſe pronunciauerit? Quid proderit ergo Papæ ſententiam elicere, qua ſi vel maxime contingeret damnari Archiepiſcopum,

Inſtruct. Paſtorale p. 185.

Maimburg Traité Hiſtorique de l'Egliſe de Rome, cap. VI. p. 55.

ille tamen caussam haberet, cur censuram hanc adspernaretur, & effato stare nolit iudicis, quem æque labi posse ac se ipsum, auctoritate ac sententia Gallicanæ ecclesiæ sancitum atque ratum sit? Sed demus hic oblitos paullulum esse libertatis suæ ab vtraque parte Antistites; quid agat vero bonus ille Pontifex? nimirum anceps ille hæret, inter sacrum atque saxum consistens. Iam diu est, ex quo negotium excutiendi libri dedit viris quibusdam rerum scientia satis instructis: qui vero & in æquales partes discesserunt, & quæ in Archiepiscopo in Gallia non toleranter feruntur, ea in sanctissimorum virorum, ab ecclesia Romana sanctorum numero insertorum, scriptis vsu frequentata esse adfirmant. O infelicem iudicem! in tantas angustias redactum, vt quid agat, quid statuat, quem damnet, quem absoluat, cum ignarissimis sciat ipse. Damnet igitur Archiepiscopi dogmata? & eadem opera damnabuntur hæreseos crimine tot Patres, tot Sancti, in ecclesia Romana per tantum temporis spatium pietatis laude vbique celebrati. In propria ergo sæuiat viscera, & quos sua voce suoque calculo venerando Diuorum numero adscripsit, eos veluti maleficos, & infamia inposterum publice notandos, de sede cœlesti deturbabit? Ab altera parte petit Rex Galliæ, instat, vrget, & minando veluti iubet. & tamen is quid constituat, nondum liquet; moras autem nectendo, & cunctanter omnia agendo aperte ludificatur orbem. Sustineat ergo iudicium suum? Hoc nempe in more positum habent Pontifices, vt, quum in neutram partem sententiam dicere rationibus suis magis vident esse consultum, tacere malint, atque suspendere decretoriam vocem, quam, quid tenendum sit inposterum, vltima sententia manifestum facere. Nouimus sane, quam tergiuersatus sit turpiter, in definienda de conceptione maculata an immaculata? Mariæ virginis controuersia, inter duos magni numeri ordines, Dominicanorum puta & Franciscanorum, per plura secula ingenti sæpe strepitu & summa offensione piorum disceptata; toties licet de vltima adpellatus decisione, quin etiam ab Hispaniæ Regibus missis legationibus scriptisque litteris serio, vt pronunciaret demum, flagitatus: vsque dum, modo responderet, æternam sapientiam nondum patefecisse huius mysterii penetralia; modo interdiceret cunctis, ne scripto vel voce inter se hac de re contentionis funem reciprocare audeant. Ita erga & nunc tam iniquo videt esse se positum in loco, vt vix occasionem cernat, nisi vt sit pisce mutus magis, se hinc eripiendi. Respicite huc, qui Romanum Pontificem,

tificem, Petri successorem, lapsus omnis expertem agnoscitis atque veneramini. Nondumne videtis ex caussa hac luculentissime, quam lubrica res sit suprema Papæ auctoritas, quam fallax, quam nullo fundamento innixa? Si Papæ est, pronunciare de fidei controuersiis, & ita quidem, vt falli sua sententia nequeat; & hanc potestatem ex successionis iure, inde a Petro vsque non interrupto ordine ad se deriuato, possideat; cur ipse iam hoc tempore non pronunciat, cur rem examinandam prius committit suis præsulibus, opemque alienam implorat, Petri successor? Quis enim velit negare, Apostolum tantum promptissima sententia liti huic statim potuisse imponere colophonem, edoctum quippe a diuino Spiritu, ea ipsa hora, qua interrogabatur, ea quæ oportebat respondere. Iam si, *Luc. XII, 12* quod hic factum esse audiuimus, discerpantur in partes æquales, quibus examinandi partes sunt demandatæ; si male librum intelligant; si perverse libri contenta referant; vel calumnientur dicta sensu optimo, pretio vel spe vel metu inducti; quale inde, quæso, sanctissimus Pater formabit iudicium? Cur Papa vero per se non videt? cur alii ipso vident melius? cur alii sunt instructi scientia copiosiori, iudicioque magis pollent, quam Papa? Porro autem, si Papæ est decidere; cur in Gallia præsules, cur Doctores in Sorbona iudicium hoc præcipitanter occupant? cur Archiepiscopi librum crudeliter lancinant, configunt, supprimunt, eiusque lectionem tam seuere prohibent? Nimirum & ipsi credunt, se, quid verum falsumque sit, liquido posse decernere; quare ergo trans Alpes audire demum velint, quid sit tenendum? Discite ergo vel tandem, si discere vultis, Papæ mancipia, Papam esse hominem; & errare posse, indeque sibi metuere; & plurima ignorare, etiam quum sedet in cathedra; & sæpe iudicare non posse; sæpissime omnium falli, totumque orbem per tot secula astutissimis consiliis & offuciis fefellisse. Istud adhuc monere par est, non habere vos caussam, quare vel vestram in fide vnitatem tam superbe iactetis, vel nobis dissensiones subinde nostras infensiori animo obiiciatis. De infinitis litibus, quibus inuicem colluctamini, quum satis alias pateat, patet vel hoc exemplo recentissimo, quam frustra de consensione fidelium omnium apud vos gloriemini. Nam quousque rixa illa vehementissima processerit, ipsimet videtis. Sed quid multa? Desperata est Pontificiorum caussa, & ineptus sit, qui ineptias ac præstigias curiæ Romanæ non agnoscat; quas tamen vlterius iam persequi & explicare, non vacat. iam diu enim tempus erat, incomptæ orationis filum abrumpere.

Ista vero, Auditores spectatissimi, pace vestra duximus, præmittenda laboribus nostris hoc in loco inposterum, quamdiu Deo visum fuerit, sufferendis. Ornanda nimirum nunc illa est sparta, quam *Serenissimi Principes Anhaltini, Duces Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ, Comites Ascaniæ, Dynastæ Seruestæ, Bernburgi, Ieueræ item ac Kniphusii, Domini mei clementissimi,* humeris hisce meis imponere gratiosissime dignati sunt; quamque nunc subiectissimo animi studio lubenter suscipio; sancte pollicitus, me in id esse elaboraturum impendio, ne tantorum Principum de me spei non respondisse videar. Daturus enim sum operam, quantum animi & corporis viribus eniti possum, vt illustris huius Gymnasii Anhaltini per me non deminuta, sed conseruata, & aucta etiam, esse videatur fama.

Saluete ergo, quos adsidentes video, Doctores publici, Viri clarissimi, & quemadmodum studiosæ Iuuentuti viam ad edita Musarum templa præclare ipsi monstratis; ita, quæso vos, ne dedignemini me in societatem egregii huius instituti laborumque vestrorum, laude omni dignissimorum, adsciscere. Si sententiis discrepamus in aliquibus, persuadete tamen vobis, me, licet de veritate religionis sanctissimæ, quam in Formula Concordiæ profitemur, in animo meo conuictum, & nunquam vel latum vnguem ab eadem discessurum; non tamen, vt quispiam a me opinionibus dissidet, ita eundem internecino prosequi odio. Ferre possum a me dissentientes, modo & mihi meam non inuideant libertatem. Interea pulchrum erit, officiis & bene merendi studio, amoreque inuicem certare. Hunc animum ego vobis sincere offero, similem promptitudinem fauorisque exuberantiam a vobis expectaturus. Saluete & vos studiosi Iuuenes, salue pubes, in spem posteritatis educanda. Agite, qui discendi cupiditate estis inflammati, agite vero, confluite deinceps in scholas nostras: ego certe mea in docendo alacritate, vestrum in discendo feruorem excitare, alere atque conseruare, enixissime studebo. Credite, si quid est, quod mea industria bonarum litterarum vel iam mihi comparaui, vel imposterum sum acquisiturus, id omne vestris vtilitatibus consecratum iri. Illud modo a vobis iure quodam meo postulo, vt vestra diligentia, vestro obsequio, vestro denique fauore, meum studium meumque amorem erga vos, quod vestrarum mementote esse partium, studiose nutriatis. DIXI.